Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2153
Quelle:
Copyright:

&c. pro *Vulgus quoque ipsa dubitatio* &c. *Id, quod oculis intuetur*, pro *invenitur*. *In inuestigatione ueritatis laborent*, pro *ad investigationem* &c. *Ad morum similitudinem* pro *morum similitudine* &c. *Henr. Glareano*, qui ad calcem *edit. supra cit.* p. 1173. *Boethium* emendasse et figuris, demonstrationibus que auxisse dicitur, ultima Textus verba defuisse videntur; finit enim: *talia esse debent, ut duæ proportiones, quæ gravitati sunt proximæ, minores sint ea proportione, quæ relinquuntur ad acutum, in non spissis vero, ut in diatonicis generibus, nusquam una.* Codex vero non tantum errorem *relinquuntur* per *relinquitur* corrigit, sed fini rite addit: *proportio uincat duas.*

III. *fol.* 35. Ultima cujusdam Tractatus Musici sequuntur, quae ex abrupto incipiunt: *Nete yperboleon itaque habet iota extensum sic* V. *Paranete yperboleon* Π *gre-cum extensum.* Π. *Trite yperboleon* Y *simplex* Y. &c. Itaque praecedentia deperiisse videntur. Monent haec *Introductionis Musicae Alypii* editae a *Marco Meibomio* T. I. *Ant. Mus. Amstelod.* 1652. 4. Sed hominis posterioris latini esse evincunt Exempla, quibus utitur: *Erunt primi nouissimi. Aue Maria. Volo pater* &c. Et est reipsa Fragmentum *Musicae Hucbaldi* Monachi *Elnon.* Sec. X. editae inter *Scriptores Eccl. Music.* a Cels. *Mart. Gerberto* T. I. ubi p. 118. habetur.

IV. *fol.* 36. charactere unciali rubronigro *In nomine Domini Incipiunt Guidonis Versus de Musice Explanatione Suique Nominis Ordine.* Praeit Icon ampla *Guidonis* et *Theodaldi* Episcopi qui *Aretinam* sedem ab a. 1014. ad a. 1037. tenuit, unde aetas Musurgi nostri Monachi O. S. B. constat. Versus porro ἀκροστιχοι sunt hujusmodi:

Gymnasio musas placuit reuocare solutas.
Ut pateant paruis habitę uix hactenus altis
Inuidię telum perimat dilectio cęcum
Dira quidem pestis tulit omnia commoda terris.
Ordine me scripsi primo qui carmina finxi.

Versus hos excipit Epistola Autoris ad *Theodaldum* Ep. et Prologus. Ediderat haec *Baronius* T. XVI. *Annal. Eccl.* ad an. 1022. *n.* 23. et 24. sed e *Codice* mendoso, cui ne hic opem feram, facit editio egregia supra dicti doctissimi Principis *Scriptorum Eccl. Music.* quae T. II. *Guidonem* exhibet, cuique *Codex* noster ab Editore consultus satis consentit. Nam sequitur praemisso *Capp.* XX. Elencho primum *Micrologus*, dein *Regulae Rhythmicae*, quibus praemissum Ακροστιχον nobis inscriptum est: *Iteratur Qvidonis Prologumena De Camenę Suę Munusculis Suique Mentione Nominis*, et v. 4. meo judicio rectius legit *cum voce ministri*, quam Impressa *Magistri.* Sub finem Versus ab: *Omnibus ecce modis* &c. usque ad:

Est